



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Benedictio Ignis quo cremabuntur signa malefica inuenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

308 MANVALIS EXORCISMORVM
in quo exceptus fuit hospitio Propheta Eli-
seus ; & sicut visitaſti & ſanaſti ſocrum Pe-
tri. Mitte Dñe ſanctum Angelum tuum de
cælis, qui liberet & defendat hunc locum ab
imminentibus malis cum omnibus qui in
eo commorantur , nullaque eos nequitia
contrariæ poteſtatis infeſtet, ſed virtute Spi-
ritus ſancti fiat hîc tibi debitum & deuota
libertate ſecurum ſeruitium. Per Dominum
noſtrum, &c. *Reſp.* Amen.

Deinde aſpergat Aqua benediſta.

Benedictio I G N I S quo cremabun-
tur ſigna malefica inuenta.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine
Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum. *Reſp.* Et cum ſpi-
ritu tuo. Oremus.

Domine Deus omnipotens , cui aſſiſtit
exercitus Angelorum cum tremore,
quorum ſeruitium ſpirituale & igneum eſſe
cognoſcitur , dignare reſpicere , bene-
dicere & ſanctificare hanc creaturam ignis, ut
eo combuſtis maleficij ſignis , omnes lan-
guores, omneſque infirmitates atque inſi-
diæ inimici effugiant & ſeparentur à pla-
ſmate tuo. Numquam lædatur à morſu an-
ticipi ſerpentis, quod pretioſo Sanguine Filij
tui

tui redemisti. Qui tecū viuit & regnat, &c.

Resp. Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Benedictio THVRIS seu INCENSI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

PER intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suauitatis accipere. Sit, quæsumus Domine, famulis tuis pretioso Sanguine tuo redemptis, defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, & omnes incantationes, præstigia, & diabolicas vexationes: sit perpetua expulsio malignorū spirituum, & in quocumque loco odor huius incensi fuerit, nullum maleficium, nullaque molestatio diabolica possit perdurare, sed statim tua immensa potentia & virtute tollatur & abigatur per signum sanctæ Crucis & tuæ. Qui viuis, &c. *Resp.* Amen. Oremus.

Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, dignare benedicere & sanctificare hanc creaturam incensi, vt omnes languores om-